Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1051
Quelle:
Copyright:

ad hoc peragendum opus presumptionis commouit audacia. sed dilectionis et caritatis excitauit fiducia. Indesinenter etenim omnium uestrorum recordamur bonorum. et multiplicium uestrorum non obliuiscimur munerum. amplexus quos nobis dulciter regalis ulna porrexit. in mentis archano depinximus. oscula melliflua in cordis tabulis fortiter sculpsimus. uerba uestra utpote regia melliflua dulcia et suauia. uelut thesaurum in mentis tenemus archano. felices dicimus illos. qui uobiscum cotidie uiuunt. felices qui iugiter uobiscum morantur. uestra enim forma patiens et ornata omnes lętificat. omnes exaltat et glorificat. Omnibus munera dilectionem et amorem ministrat; hoc nos regio dulcique amore permoti et regali munere excitati hunc parui paruulum libellum digessimus. quem diuinis testimoniis multipliciter confirmauimus; Nomen illi uiam regiam *dedimus. et tibi regi feliciter legendum direximus. ut uelut per regia currens itinera ad regem regum et ad regiam feliciter peruenias patriam.* Ceterum Opusculum nil abit ab Impressis, nisi quod in plures Articulos miniatis inscriptionibus gaudentes sit divisum.

XXX. *fol.* 191. *Incipiunt Dicta Sancti Augustini de Disciplina Christianorum.* Initium: *Locutus est ad nos sermo dei. et depromtus est ad exhortationem nostram* &c. Opusculum alias inscriptum *Liber* aut *Libellus* extat edit. *Maur. Opp. Augustini* T. VI. 1685. *col.* 581. divisum in *Capita* XIV. sed nobis una serie decurrit, nec habet in finem laciniolam illam, quae ibi *n. 16.* audit.

XXXI. *fol.* 194. p. 2. *Hic Liber Sancti Valeriani Cimelensis Episcopi de Bono Disciplinę.* Initium: *Multi qui sanę doctrinę aduersantur. iusticiam culpant* &c. Primus *Librum* hunc seu *Sermonem*, cum antea inter *Augustini* Opera legeretur, suo Autori redditum e Bibliotheca *Barth. Schobingeri* Patricii S. *Galli* produxit *Melch. Goldastus* cum 1601. 8. tum inter *Paraeneticos Veteres* P. I. 1604. 4. Eundem cum XIX. aliis, quos in *Cod. Corbeiae Vet.* repererat, repraesentavit *Jac. Sirmondus Paris.* 1612. 8. ne adpellato quidem, quod salvis omnibus poterat, *Goldasto.* Inde in ejus *Opp.* T. I. *Paris.* 1696. *col.* 613. et in *Bibl. PP. Lugd.* T. VIII. p. 498. habetur. Praemittitur ibi brevis etiam *Valeriani* Notitia, de quo plura in *Hist. liter. de la France* T. II. p. 328. ubi aetas illius Sec. V. adfigitur, Nominique, quemadmodum in *Goldastiano* et *nostro* Codice, *Sancti* Titulus praeponitur, cujus rei tamen caussa *Sirmondum* quidam *Inquisitoribus* detulerat. Ubi Autores *Hist.* mox *cit.* miror, quibus delator *une personne, que l'on ne nomme pas*, audit. Nominavit illum sane *Theoph. Raynaudus* in *Apologia Valeriani Opp.* T. XI. p. 93. et iterum T. XII. p. 438. *Nicolaum Chichonum* Ord. Minimor. Quo loco emendandus *Schoetgenius Bibl. Fabric. med. lat. L.* XX. qui Virum hunc Or-

dini